



1984


1984

I. Hosp. St. Dr. P

Biblioteka Jagiellońska



stdr0004467



SERTVM APOLLINIS.
ERVDITIO NE MO-
RVMQ. PRÆSTANTIA XIII. OR-
natissimis Iuuenib. dum in Alma
Acad. Crac. Solenni ritu Ar-
tium & Philosophiæ Baccalaurei,
renunciarentur.

80. cent
in manu
1294

1894. XII. 67

Ab

Adamo KOLACKI, ex eodem numero Candidato,
honoris gratia contextum & oblatum.



Anno Domini, 1604. Nonis octob.

Loeysa 5,251

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE
INSTITUTION
PRINTED AT THE
UNIVERSITY PRESS

AD
ADDITIO
BONIS GRATIS CONSTAT & CLARUM



1984I

Anno Domini 1604. Nonis octob.

SERTVM APOLLINIS.

IOANNI LORENCOWIC.

Primus in Hesperidum campis Phœbiq; palæstra

Certaſti, primus vincis & ingenio,

Primum iure locum donat tibi laurea prima,

Perge, dabit primum, crede ſecunda, locū.

ANDRÆ CHAWLOS.

Ab Ioue prima tenet ſedem, ſua nata, ſecundā,

Princeps ingenio, ſola ſecunda Ioui.

Anteis ingenio, ante omnes eſe ſede ſecundus,

Et nili primus ſit, tu fore primus eras.

FRANCISCO ALEXANDROWICZ.

Muſa tibi ſemper fuit imo condita corde,

Te Muſa exornat, munere Muſa beat.

Ergo magis Muſis maneat dilectus alumnus,

In quorum ponit te ordine tantus honor.

NICOLAO ERLER.

Rhetor in eloquio, iucundus in arte Pœta,

Gnarus & in Sophico pandere vela freto.

Artibus vt variis ornasti pectora; ſic nunc

Nectitur ex vario flore corollā tibi.

CHRISTOPH. PVDLOWSKI.

Palladis ingenium, facies Muſæa, colorq;

Gæſtus & inceſſus, ſplendida cuncta tibi.

Sola tuo capiti restabat danda corona,
Hanc iam, iam, nectit doctus Apollo tibi.

ANDREÆ CIERMINSKI.

Felix ingenium, mores natura pudicos,
Est largita simul, cum probitate tibi.
Mores te exornant; probitas quoq; semper amatur:
Ingenium celebrant, carmina nostra tuum.

IOANNI STEPHAN: PRÆDBOR.

Quondam Pileiacum peragrat dum littus Apollo,
Forſan adhuc puerum te in ſua caſtra rapit.
Miles eras; nunc victor ouas: at poſt ea creſces
Prædboritano gloria magna ſolo.

NIC: DANIECKI A. B. ADAMO KOLACKI.

Plurima tu Muſis, muſæ tibi multa viciffim
Debebunt, illis nam tua cura placet.
Muſis es deditus, quarum ſuccenſus amore.
Nunc lauro exornas, nobile ſtemma tuum.

MATTHIÆ PRAMVSOVIO Cieſkouieñ.

In te concertat, Diuorum cura, Camænis,
Quid ué prius referat neſcia Muſa tacet.
Credo pro ſtudiis præſentes ſumis honores,
Pro pietate, Dii ſæcla futura dabunt.

Ioanni

IOANNI KOLACZKOWSKI.

Te gravitas, te forma virum, moresq; venusti
Cómendant, studiiq; anxia cura tui.

Ista placent, facias semper quod nunc facis; ecurr?
Plus valet ornatum moribus ingenium.

ALBERTO RADLICIO ANDREIOV.

Sæpius Andropolis sacrat sua munera Phœbo,
Offert te charam nunc quoq; progeniem.
Multi præcesserê tuumq; sequentur honorem,
Tu medius; virtus hæc loca namq; petit.

MATTHIÆ KOWALSKI.

Multos exuperas studio, dum grandia tentas,
Tenta, conatus proderit iste tibi.
Plurima sollicitas comitantur gaudia curas:
Armat spina rosas, mellaq; seruat apis.

ANDREÆ SCRINEN.

Martis miles habet semper sua munera victor,
Cur ea non habeat miles Apollineus?
Maximus hic labor est, sunt maxima præmia danda,
Præmia sudoris, laurea ferta gere.

ODE DICOL TETR.

ENCOMIAST.

Cast-

Castalis mecum modularè Nymphà,

Curre per dulces fidibus loquellas,

Dicq; festiuo Sophicæ palestræ,

Carmina plausu.

Dum tuum læti Pataræe limen

Milites tangunt, Sophiæ resoluunt

Arduos nexus, cupiuntq; ferre

Stemmata Phœbi.

Hi tibi primi studium probârunt,

Hiq; victores spoliata castra

Hostium rident; validoq; sternunt,

Otia Marte.

Hi sibi pulchris perierê laudem

Artibus; tandem meritos honores

Exigunt; illis semel inchoata

Gloria crescat.

Defatigato precium locare,

Militi fas est; suaquenq; virtus

Incitat, sperans rigidi laboris,

Præmia ferre.

Quam Sophi quondam Phrigii volebât,

Quam decus vatū sibi, Mantuanus,

Expetjt laurum, modo vestra tollit

Strenua virtus.

Dona nunc pro præterito labore

Fertis, œstrum nō minis at futuri,

Solâ nam virtus monet, altiora
Tendere ad astra.

Quisquis exoptas superos adire,
Atq; per mundi volitare clima,
Dotibus viuas animi; rapit nam
Cætera casus.

ANDR: PETRIC: ART: BACC:

Adamo Kolacki, Dedicat.

Quas tibi nunc laudes quod tandē carmen Apollo
Occinet? è studiis præmia quando refers?
Gloria magna venit cunētis, sed maxima, si quis
Ingenio, studiis, nobilitate valet.
Stemmata te exornant, studiisq; mereris honores,
Ingenio viues tempus in omne tuo,



204
Sola nam virtus mori
Tunc est danda
Quod non potest
Aliter mori
Sed in
Ceteris

ALBERTUS PRINCEPS

Admiratione
Virtutis
Quod non potest
Aliter mori
Sed in
Ceteris



